



b 1

CORVVS.
ORATIO
CONTINENS IMAGINEM
CORVI, AD HAERETICOS AC
COMMODATAM.

Quam

*Inter Dominos Pastores ad Regiomontana-
nam, in Neomarchia, diocesisin pertis
nentes, die conuocationis, qua fuit
it 21. Iun. Anno 1592.
habuit*

M. Iohannes Pontanus Ec-
clesiæ Regiomontanae Pastor &
Inspector.



FRANCOVRTI
Typis exscripsit Andreas Eichorn.

REVERENDIS, DO-
CTRINA, ET PIETATE OR-
NATISSIMIS VIRIS, DOMINIS PASTO-
RIBVS ECCLESiarVM, IN DIOECESI
Regiomontana, fidelissimis, collegis, amicis,
& in CHRISTO, Fratibus suis,

HANC

DE CORVO

oratiunculam

Εἰς μνημόσυνον τῆς φιλαδελφίας, consecrauit

M. Iohannes Pontanus,



Autor ad Eosdem.

Accipe sermonem, de CORVO, nuper in actu
Colloquij expositum, frater amice, rogo.
Astutias Satanae perpendas, dogmata Christi
Qui varijs gaudet prostituisse modis.
Sis cantus: vigila, sacris addictus: & ora,
Ne te precipitem Zinglicus error agat.

IN CORVVM INAVSPICATI
OMINIS AVE M.



Les corax iners abomina-
bili

Nefanda cantu, vile, frivo-
lum pecus:

Salutis arca quod liben-
ter evomit:

Quid inter astra fessitas? quis obsecro

Te territare cælites crocibus

Iussit sinistris? (fabulæ si qua est fides:)

Ni fallor, aut mens si quid augurat cati,

Pseudoprophetas iste denotat situs.

Fraudum magistri, pancacus quos edidit

Satu sinistro, principem ferè locum

Ecclesiæ inter sancta luminaria

Sibi vendicant, furuntq; sycophantijs,

Adulterantq; quicquid uspiam boni

Deo fides amica motibus probat.

Fatorum alumna donec indulget dies:

Nec dum terox scribit dicam Rhamnusia.

A 2

Nam

Nā corvus hic Deūm minister improbus
Plutonio sedet Draconi proximus,
Caudam laceffens, hinc venenum gurgi-
(tat,

Fontis liquorem quo contaminat sacri,
Vitæ manentis vnde profilit latex.
Et simplicem deceptor inquinat gregem.
Id Antichristi poculum, quod propter est,
Designat: hoc tyrannus, hoc corax bibit,
Vterq; Christianicida, sanguinem
In fontium: probat Sophista, Rex necat
Crudelis: ipse, particeps Lycaoni,
Rapto licenter imminet Corvus vorax.
Cristas rigentes explicite parcus
Corvi innocentum gurgites cadauerum:
Est quæ dolosum vindicet genus Themis.
Sua ardet hydro Styx, focus corvo suus.

Micha. Abelus Franc.



ORATIO DE
CORVO.



*Q*uoties ego Reverendi ac ornatissimi viri, Domini Symmystæ ac Synergi, in Christo dilectissimi, quoties, inquam, presentem Ecclesiæ statum intueor, toties mirari cogor, quæ fiat, quòd manifesta veritati, in tantum, à potissima parte illorum, qui se in culmine eruditionis sedere autumant, contradicatur, & Angelus lucis ac illuminationis, (pro ut in Apoc. 18. nominatur) magnus ille Lutherus, reformatæ religionis honos, ad eò flocci pendatur, conspuatur, eijciatur? ac sordescat nomen, sordescant scripta Lutheri? Vbi vero succurrit vaticinium Pauli: (Actor 20.) Ex vobis ipsis exorientur viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se: quos vocat lupos graves, non parcentes gregi: Item (1. Tim. 4.) Spiritus disertè dicit, quod in posterioribus temporibus desciscent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis Demoniorum, per hypocrisin falsiloquorum, cauterio notatam habentium conscientiam (ut

taceam CHRISTI, Petri, Iohannis, &c.
Matth. 24. Luc. 10. 2. Pet. 2. 1. Ioh. 2.) nihil novi,
hoc nostro tempore, nobis obtingere video. Neq̄
moveor multitudine illorum, qui se ex colluvie
Iesuitarum & Calvinianorum, nostris Eccle-
sijs & sinceris Doctoribus opponunt, illosq̄ vi-
rulentis calumnijs proscindunt & execrantur.

Sic enim Pontifices & magna turba sacerdo-
rum ac Phariseorum damnarunt Zachari-
am, Baptistam, Christum, Apostolos, propter in-
terpretationum discrepantiam. Vtpote, qui Mes-
siam sibi sculperant, ex dictis Prophetis, talem,
qui imperia mundi & opes daturus esset civibus.
Quam ipsorum opinionem suffragia summorum
confirmabant, & applaudebat promiscua mul-
tudo. Quin potius talia cedunt ad maiorem
circumspectionem. Et (ne ^{negotia} nostra certi-
tudinis adducam) vel ex hoc unico signo, nostram
doctrinam esse veram, colligi posse, reor. Sint ergo
suspensio animo hypocritæ, Epicurei, & quicumq̄
cum corvo Noæ, a nostra sententia deficiunt, do-
nec in concilio aut synodo ^{ὅτι κερμενικῆ} negotium
dirimatur. Sollicitè verò videant, ne cum anima
eterno periculo illud faciant.

Verum

Verum, ut recepta nostra consuetudini
deserviam, & nostro colloquio (quod de præci-
puiis ex articulo cœnæ, questionibus, iuvante
DEO, sumus habituri) præmittam, imaginem
hanc corui, quem Noah, 40. die, post conspecta
humiliorum montium cacumina, requiescente
arca, in montibus Ararat, tanquam explorato-
rem emisit, paucis accommodabimus ad hereti-
cos, à vera religione deficientes. Meæ autem ac
vestræ memoriæ ut inserviam, illud faciam tri-
plici consideratione, videlicet secundum initi-
um, medium ac finem. CHRISTVS IE-
HOVAH, suo sacro Numine, regat nostrum
conatum, ad sui divini nominis laudem, & ad
nostram utilitatem.

I. Quò ad initium. Corvus Noæ aliquan-
diu in arca habetur: semel verò emissus, haud
revertitur: sic falsi Doctores aliquandiu volunt
videri, ac si habeantur in arca Noæ, h. e. in Ec-
clesia Christi, dum simulant, se nobiscum loqui
secundum normam sacrae scripturae, iisdem ver-
bis collaudant Lutherum eiusq; normam docen-
di, at per antiphrasin, animo haud suffragante.

Tandem egrediuntur ex scholis suorum Præ-
ceptorum, pro ut nullum simulatum, teste Cice-
rone, est

rone, est

rone, est diuturnum. Ac ubi semel, exemplo sui
antesignani, Satana nimirum, ex arca cœlesti,
arrepta occasione, evolant, haud facile revocan-
tur, ut seriò nobiscum sentiant & loquantur. Id
quod in Carlstadio, qui primus, nostro tempore,
ᾠεμαχὸς fuit Sacramentariorum, ne de Calvi-
no, qui diu bonum simulavit Lutheranum, de q̄
alijs eius asseclis dicam, quales etiam nostra ætas
vidit, est manifestissimum.

Plinius (lib. 1. nat. hist.) dicit, corvos esse
obliviosos. Et illi vertumni, qui data occasione,
à nobis se retrahi patiuntur, mox obliuiscuntur,
quam doctrinam superioribus annis suis audi-
toribus inculcarint. Novitate gaudentes, mox al-
ia atq̄ alia arripiunt, quæ vel decies, contra
conscientiæ suæ κατὰ κρίσιν, immutare coguntur,
varia subinde querentes effugia, variosq̄ præ-
textus, ne in suo errore constringantur. Utun-
tur quidem & ipsi scripturæ autoritate, eamq̄
sed prius miserè mutilatam, aut detortam, pro
se citant. Deturbati autē de præsidio illius (cum
una & perpetua sibi constans scripturarum utri-
usq̄ testamenti sit sententia) alia querunt diver-
ticula, sub quibus latitare se posse autumant, a-
nimo decipiendi, confugientes vel ad humanæ
ratiō

rationis iudicium, vel ad axiomata & regulas
Philosophorum, vel peculiare fingunt revelati-
ones, & nituntur vel antiquitate, vel autorita-
te maiorum. Ac licet multum prædicent de sua
lenitate, de pia patientia, etc: obliti tamen suarum
præceptionum, ipsis etiam vespis in pungendo
sunt acerbiores.

Utque corvus, contra rerum naturam, ma-
turis frugibus, in medijs æstivis fervoribus, ovis
peros pullulat fœtus, teste Fulgentio. (lib. 1. My-
thol.) sic quoque hæretici, turbatores Ecclesiarum,
sub meridiana Evangelij luce, præter omnem ex-
pectationem, suos errores in publicum producere
& multorum applausu, contra manifestam ve-
ritatem, propagare nituntur, sua exaggerantes,
nostra extenuantes, non quæ mendacij & asinine
stoliditatis arguentes. Verum hæc paucis res-
pectu in initij dicta sint.

II. Respectu mediij, imaginem CORVI
triplici modo contemplabimur, ratione τροφῆς, καὶ
φιλαυθίας, καὶ ἀσorgίας.

Quod attinet ad τροφὴν seu nutrimen-
tum corvorum, vescuntur illi carne morti-
cina, videlicet, animalium, quæ vel vitio
naturæ, vel externa aliqua vi, morte sub-

B

acta

acta perierunt. Vehuntque partem cadaueris in
rostro Sic & heretici blasphema & pernicioſa
docent, quibus anima hominum ſeducuntur &
occiduntur. Nec abſtinent à ſinceris ac beneme-
ritis Eccleſiæ Doctores, quos Deus in aternam
caeleſtis Academia requiem aſſumpſit, ſed cor-
vino roſtro ac ore canino, illorum famam arro-
dunt, ipſis ex malitia affingentes, quæ ne in febrî,
ubi tamen plurimum eſt ſomnorum, ipſis occur-
rerunt. Sues ac porci, ſi quando in camiteria ir-
ruunt, defunctorum monumenta diſijcere ſolent:
& canes, in oſſa defunctorum ſæviunt. Tales
ſunt & noſtri aduerſarij, dum ſibi ex tumulis
defunctorum, gloriolam aucupantur. Id quod ob-
tigit Luthero, Brentio, Iacobo Andrea, Chemni-
tio & alijs: quorum ludibria pia menti vel lac-
rymas, ne diu ſuſpiria exentere poſſint.

Anguis ille Ouidianus (ii. Metam. fab. 2) in
ſilicem mutatus, qui Orphei caput laceravit
morſu, fuit procul dubio Lesbius quidam obtre-
tator, qui mortuum inſectatus eſt. Tales enim
ſunt & angue crudeliores, qui famam bonorum
hominum, præſertim mortuorum lacerant. Quin
eſt ſæuior urſis, qui famam immeriti dilacera-
re ſtudet. Nazianzenus inquit

Parce

Parce peregrinis: at manibus æthere cassis,
Hic qui liquerunt omnia, parce magis.

*An non Ethnici multò fuerunt saniores
huiusmodi scurris, qui tamen inter lumina
Christianorum se collocant? Ita enim Ouid.
(1. Amor. 15.)*

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit,
Tunc suus, ex merito, quemq; tuetur
(honos.

*Senex quidam Ephorus ubi consuluit Ageo-
filao, ex iustissima causa indignanti, ne Lysan-
drum sepultum refoderet, sed orationem illius de
mutando reipub. statu, plenam seditionis, quan-
tumvis fuisset ejus inimicus, premeret, senis consi-
lio paruit, simulq; perspexit, indecorum esse si-
multatem exercere cum sepulto (Erasmus apoph.
libro primo.)*

*Pausanias, Dux Spartanus, ad Plateas,
tanta fuit modestia in victoria, ut, cum eum ad-
hortarentur quidam, ut capita Persicorum du-
cum interfectorum affigeret cruci, sicut Persa
caput Leonida Regis Spartani simili contume-
lia affecerant, responderit, se mortuos nulla con-
tumelia affecturum esse, ac satis sibi esse, si iusta
B 2 . faciens*

faciens & dicens Spartanis suis placeat. (Chron.
Phil. lib. 2.)

Quid verò crudelius inter nos Christianos,
quam in mortuos ita se vivere? Num putas, Deo
tantam aσoγίαν & inhumanitatem posse place-
re? Perpendas velim, quid Stigelius ex Æschilo
dicat:

Si vis, honore mortuos complectere,

Nec facile eos affeceris iniuria.

Sed est tamen Nemesis, nobis potentior,

Læfosq; Iustitia ipsa manes vindicat.

Interdum etiam corvi lepuseulos corripunt
ac devorant. Quo innuitur falsos Doctores mi-
nus cautis imponere, & imperitos adolescentes
suo veneno inficere, ut coram DEO, nisi resipi-
scant, pro mortuis habeantur. Id quod in fabula,
de corvo & luporum præda, docetur:

Utq; corvi (Mathe. de Dilu. con. 23.) suum sibi
suggestum & conciliabulum parant in patibus
lis, & insultant illis, quibus carnifices gulam
laqueo fregerunt, subinde crocitant: herab / he-
rab / ut se liberent: interea autem à cada veribus
ipsorum non abstinent: sic quoq; heretici omnes,
inter sui similes facilimè congregantur, ut Poëta
inquit: (Stigel. ex Theocr.) formicæ cara est for-
mica

mica, cicada cicada, accipitri placet accipiter.
Seque oblectant pasquillis, ludibrijs & sarcasmis
piorum, quos ipsorum dogmati contrarios esse no-
runt, si qua cruce aut infortunio illos, disponen-
te Deo, premi, compertum habent. Gaudent eo-
rum malis, atque ex incommodis ipsorum volu-
ptate afficiuntur. Gaudent insuper sanguine ac-
cede omnium, qui sunt alieni ab ipsorum $\delta\omicron\zeta\omicron\sigma\phi\iota\alpha$
seu potius $\delta\omicron\zeta\omicron\mu\alpha\nu\iota\alpha$. Verum ne brevitatis limites
transgrediar, & solummodo, quasi pertransen-
nam singula ostendam, de nutrimento corvo-
rum haec sufficiant.

Quod attinet ad $\phi\iota\lambda\alpha\nu\tau\iota\alpha\nu$. Corvus apud \mathcal{A} .
sopum vult laudari à Vulpecula. Fabulam ad-
do. Sustulerat corvus alicunde caseum, & cum
illo in altam arborem subvolarat. Vulpecula,
quae caseum concupiisset, ita illum adorta callide
fertur, cum primum formam & nitorem penna-
rum, & laudes augurij collaudasset, planè, in-
quit, te summi Iovis volucrem esse dicam, si au-
diero etiam vocem & cantum, dignum reliquis
virtutibus tuis. Corvus laudibus Vulpis infla-
tus, clamorem edere, quam maximum posset. Ita
de aperto rostro delapso caseo potita Vulpes deri-
dens illum: Nihil inquit, tibi deest, corve, praeter

cor. Qua fabula docemur, assentationes & de-
ridendos & comedendos alys, ut Terentius ait,
exponere eos, qui illis delectentur. An non here-
tici, qui nova moliuntur, omnia sua ex compo-
sito eo dirigunt, ut habeant applausum, et ob nimis-
am familiaritatem, nec non ob sanctimoniam et
singularem quam præ se ferunt, eruditionem, en-
comia multorum demereantur?

Ex hypocrisi verò illa exurgit crudelitas,
quam duplici nomine produnt. Contrahunt enim
corvi amicitiam cum vulpecula, & rostra sibi
acuunt in cacumine petrarum. Sic falsi docto-
res, qui fiunt osores nostræ religionis, querunt fa-
miliaritatem inter proceres aulae, utpote inter
principum consiliarios, quos eiusdem farina as-
seclasse norunt. His se insinuunt quibuscunq;
modis. Quod si illorum beneficio aditum ad ipsu
principem acquirunt, omnem movent lapidem,
ut ipsi innotescant, per hypocriticam suam sancti-
moniam & singularem, quam in doctrina fidei
predicant, revelationem. Hinc sua in cacumine
montium, h. e. in aulis, acuunt rostra & debac-
chantur in alios, quos suspectos habent, quos sibi
obstaculo esse vident. Intimos principum consili-
arios e pertrahunt, ut ipsorum opera, boni ac sinceri
Doctores eyciantur, aut etiam duriora in illos
status

statuantur. Quid obtineant, exemplis quàm plurimis, (nisi exempla essent odiosa) ex veteri & nostra Ecclesia posset doceri. Quis non videt adagium illud hic esse verum: corvi luscinijs honoratiores? Propterea, quod saepe plus tribuatur improbitati & audacia, quàm eruditioni & sapientia.

Asopyia deniq; quod spectat, corvi pullos, ut fertur, negligunt albos, quasi adulterinos. Revertuntur ad illos postquàm incipiunt nigrescere, eosque, tanquam legitimum partum, nutriunt, donec ipsi evolare & pastum sibi quaerere possunt. Tandemq; ubi potestas ipsis datur volandi, non tantum illos nido eiciunt, sed (teste Ebero in vocab.) persequuntur, & tota pellunt regione. Sic Doctores falsi cum sinceris Doctoribus non possunt conversari, fugiunt illos & persequuntur ad extremum usq;. Quos vero eiusdem coloris esse vident, hos amplectuntur, fovent, exosculantur. Quãvis nec inter ipsos sit sincera fides. Qui enim Deo est infidelis, homini quomodo fidelis esse potest?

Cur autem Dominus (Luc. 12.) exemplum corvorum adducat, ratio probabilis est, quod scriptura Veteris testamenti eo utatur, quasi singulari exemplo providentia divina. Veluti Iob. 39.

Quis

Quis parat corvis escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, oberrantes absq; cibo? Et Psal. 147. Qui dat iumentis cibum suum, & pullis corvorum, quando clamant. Ferunt enim pullos, dum negliguntur à parentibus, ali divinitus, muscis circumvolitantibus nidum, quas captent. Alij volunt, nidum ex stercorebus ipsorum parturire vermes, quos esitent pulli, donec alantur tandem à parentibus. Ut sit, utitur scriptura imagine corvorū, tanquam singularis divine providentiæ exemplo, quomodo nimirum Ecclesia & totum genus humanum, immensa misericordia DEI servetur & alatur: Et quidem inter Tyrannos aegypti & hostes implacabiles: quodq; vivat tenuissimis vermiculis seu micis reliqui generis humani, quas stercoreis loco Tyranni habent & aspernantur. Et tamen hic victus Ecclesiam alit ac nutrit, quantumvis exiguus & abominabilis, donec ad sedem vitæ celestis lata evolet, ubi pabulum erit latius & salubrius, sapientia, iustitia & letitia æterna.

Sic quoq; elegans exemplum providentiæ divine ex imagine corvi, in historia Elia (1. Re. 17.) habemus. Cum enim sciret, se vocatum esse divinitus ad docendum, certò statuit, sibi non defuturo

defuturo

defuturam esse quotidiani victus copiam, donec ministerio fungi eum Deus vellet. Hac fide & spe petit & expectat victum. Venit igitur primum ad torrentem Cerith, ubi à corvis, iuxta promissionem divinam, pascitur. Etsi enim corvorum tanta àsopia est, ut pullos recens editos deserant, tamen Eliæ exulanti panem et carnem attulerunt. Neq̃ inovenur hic expositione quorundam Iudæorum, qui vocabulum de mercatoribus seu negociatoribus, accipiendum esse volūt. Ut docet Pagninus (in thes. Ebr ling. col. 2077.) Sed retinemus vulgatam translationem, ut tota historia Eliæ sit imago Ecclesiæ, et doceat de Dei potentia in omnes creaturas, eiusdemq̃ misericordia & bonitate erga Ecclesiam. Exulat Elias & à corvis pascitur, interea impij sacrificuli Baal, in regno Samaria, maximis opibus fortunisque, florent & circumfluunt omnibus copijs, atq̃ in omnium rerum abundantia vivunt. Ita plerunq̃ vera Ecclesia habet hospitia tenuia, & magna opes sunt penes Evangelij hostes. Quare sciamus inopiam nostram boni consulere, eamq̃ arte ferre. Utraq̃ enim ars magna est, recte uti divitijs & recte ferre paupertatem.

Neq̃ pius concionator, cui res est angustiior, quam ut familiam alere, aut in futuram necessitas

C

tem

et enim aliquid reponere possit, ideo animum despondeat, sed faciat, sui quæ muneris esse videt: spemque in Domino fixam habeat. Deus enim, qui sibi fidentes deseruisse nequit, etiam post obitum piorum, viudas et orphanos facilima ratione potest sustentare. etc. Quæ fusius dicta sunt, uno disticho complexus est noster Haslobius:

Disce Dei verbum: meditare salubria: mung
Perfice: ne cura splendida: sperne minas.

III. Tandem, quò ad finem, duplici modo corvus imagine notat hereticos. I. Corvi in sacra scriptura venenati ac impuri censentur (Lev. 11. Deut. 14.) ideoque esus illorum prohibetur. Sic falsi Doctores omnia s. scriptura dicta, atque etiam scripta orthodoxorum ad suum accommodant venenum, illisque contra conscientiam abutuntur. Et sunt calumniatores ac depravatores. Unde etiam color illos arguit niger, quod sint fugiendi. Dicitur enim corvus apud Ebreos כורבא à mixto, ut quidam volunt, colore, inter lucidum et nigrum, vel, quod obscuritatem vespera referat. Græcis vero κόραξ dicitur à κόρα id est niger.

Unde autem illum colorem habeat corvus, fabulatur Ovid. in Metam. (lib. 2. fab. 8) Dum enim spernit consilium cornicis, et garrulitate accede aliena gaudet, ob delictum illud, album colorem

amittit.

amittit & nigrum acquirit. Quid aptius in hereticos potest detorqueri, utpote qui bene monentibus nolunt obtemperare, lingua volubilitate freti, omnia confundunt & eade piorum delectantur? Verum ut sua temeritate corvus sibi malum accersit: ita & illi tandem penam incurrunt iustissimam. Pro ut in fabulis, mater ad corvum decumbentem & preces rogantem, ait: Vereor ne meas preces ullum numen exauditurum sit: Nullius enim tu victimis unquam pepercisti. Idem innuitur in proverbio: corvus serpentem: Quod desumptum est ex quodam apologo, ubi corvus serpentem in aprico dormientem conspiciens rapuit: a quo morsus perijt.

Utiq; malum est omen, ubi corvi congregantur: sic non caret multiplici malo, ubi hereticis, veluti Calvinianis ac Iesuitis, datur occasio se implicandi, suumq; conceptum errorem disseminandi. Cuncta siquidem isti lupi, animabus insidiantes, ad turbas & noxias machinationes dirigere videntur. Est enim Spiritus ipsorum mendax & homicida.

Et hinc per inprecationem dici solet: ἐς κόρακας (Aristoph. in Vesp.) id est, ad corvos, seu, in malam rem. Quo iubetur aliquis abire in malam crucem, ut est apud Plautum, & ibi pascere corvos, quemadmodum Horatius loquitur. Item vulgare

est illud: κακὸν κόρακος καὶ τὸν ὄρνιν. id est, mali corvi ma-
lum ouum. Quod videlicet ex scholis hereticorum
proveniant tales, qui suos præceptores eum viva i-
magine referant. Ex pravo pullus bonus ovo non
venit ullus. Qualis enim præceptor, talis discipu-
lus. Quare perperam agunt parentes, mittentes li-
beros suos in scholas hereticorum, quemcumq; et-
iam habeant prætextum. Quemadmodum enim
corvus, ut eò, quò digressus sum revertar, in arcã
Noë non rediit: ita neq; veneno hereticorum sedu-
cti, facile in viam revocantur. Nolunt enim intel-
ligere, ut bene agant, (Psal. 36.) partim ex opinione
falsa, cum fidei fundamento pugnante, partim ex
pertinacia assertionis.

Verùm hæc ita paucis sint dicta, de imagine corvi,
ad hereticos accommodata. Quod restat, rogamus De-
um, ut nobis, sub pio nostro Magistratu, balcyonia largi-
atur, huiusmodi corvos ab Ecclesijs & Scholis nostris
arceat ac reprimat, & veneno illorum infectos in
viam reducat, ut Christo debitum tribuentes
honorem, vera fide in ipsum, tandem fe-
licem ex hac vita exitum, & am-
plissimam vitæ æternæ
hæreditatem as-
sequantur.

D I X I.



